

laritatibus occulte proueniensibus ex causa suali homicidio, argum. tex. in cap. liceat, 24. fess. Conc. Trid. Vnde mandans aliquem verberibus cordi, si inde secutum est homicidium, poterit Episcopus dispensare modo occultum sit, d. c. liceat. Nau. cap. 27. num. 240. circa medium.

77 Hinc ex d. cap. liceat ꝑ deducuntur aliqua, & primo, excommunicatum exercentem ordinem sacrum, tanquam irregularem, ut in cap. 1. de sent. excommu. in 6. posse ab Episcopo dispensari, si id ad forum exterius adductum non fuerit. Secundo ordinatum ante legitimam ætatem, uel sine beneficio, aut patrimonio, sine litteris dimissoriis, interim celebrantem tanquã irregularitatis nota maculatum ab Episcopo posse dispensari, si occultum fuerit delictum, iux. extrauag. Pii V. cum ex sacrorum. Et nota, quod non solum potest dispensare præsentialiter, sed etiam per litteras dispensare, uel absolueri ipse, uel alius: potest etiam aliis potestatem committere, iux. Panorm. in cap. nouit, de offic. deleg. cap. Apostolicæ, num. 7. de cler. excommunic. mini. nec his refragatur, quod nemo potest in diocesi aliena forum eligere: quia illud procedit in foro conscientie, secundum Sotum in 4. sent. dist. 22. q. 2. art. 1.

78 Sed quid ꝑ faciendum sit, si Episcopus fuerit irregularis: dic quod potest sibi eligere Confessarium, iux. tex. in cap. fin. de penit. & remiss. qui dispensabit super illa irregularitate, super quam Episcopus in persona aliorum dispensare poterat, Syl. in verbo, Confessor primo, nu. 4. & nos alias diximus in primo lib.

79 Sed quid ꝑ dicendum de parochia committente homicidium voluntarium, qui si nõ celebrat, certum est apud homines se illud commississe, & infamatum esse de hoc; an poterit celebrare? Resp. ex mente omnium, quod ubi concurrat ius posituum, scilicet dispensare super irregularitate, & ius naturale, & sic ius diuinũ, ut vnusquisque suam famam, personamque tueatur, ius diuinum, seu naturale positum præfertur. Ex quo sequitur di-

cto parochia licere celebrare post debita contritionem, & confessionem, ante dispensationem: quia lex diuina, & naturalis de defendenda sua fama, & vita, præstat legi positivæ de abstinentiã à sacris ab irregularitate prædicta, Nauar. in cap. 7. num. 2. & 3. & in cap. sicut, de consecr. dist. 1. Quod an dicendum sit de moniali occultissimè incidenti in excommunicationem Papalem, ut quia nocte forte exiuit à monasterio, cõtra c. Bonifacii VIII. fess. 25. in Conc. Trid. nos late diximus in 1. lib. cap. 12.

80 Hæc verò ꝑ quamuis ita procedat in iure, non tamen ita passim admittenda sunt in praxi, præsertim in hoc Regno, quod paululum à Roma distat, & facile possit ad sum. Pontificem recursus haberi pro dispensatione, nisi tamen vrgentibus causis concurrentibus, sed nõ in omni delicto, absque vrgenti ratione notorii periculi vitæ, aut famæ. In aliis autẽ religionibus aprimè distantibus supra dicta obseruari possunt, nisi in ultimo casu.

81 Tandem ꝑ irregularitas tollitur per dispensationem Papæ, qui omnes tollere potest; cum sint de iure positiuo, c. item Daniel. 2. q. 7. Doct. in cap. nisi cum pridem, de renunc. [An vero videatur summus Pontifex irregularitatẽ tollere per clausulam illam in bullis apponi solitam, Teque à quibusuis excommunicationibus, quod fit, quando factus irregularis impetrat à Papa beneficium. Respond. quod non: quia nunquam videtur Papa absolueri ab irregularitate, uel facere facultatem absoluendi ab ea, nisi id exprimat, ut dixit Nauar. in Manu. capit. 27. nume. 254.]

Dispensatio autem fit tali pacto. Auctoritate N. in hac parte tibi concessa, & mihi commissa, ego dispenso tecum super irregularitate, uel irregularitatibus, quam, uel quas cõtraxisti ex tali causa, & restituo te ad legitimos actus: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Am. uel si res esset dubia, si cõtraxisti. Hęc de irregularitate dicta breuiter sufficiunt.